DE HYDROPE OVARIORUM DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... MENSE...

Ilario Besuschio

5

DE HYDROPE OVARIORUM

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE CONSEQUENDA IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D.RE J. M. ZENDRINI

PROF. ORD. HISTORIAE NATURALIS

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE APRILIS ANNO 1847

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

[illegible] HILARIUS

Ex Abbiategrasso in Prov. Ticinensi



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

AL CHIARISSIMO SACERDOTE

DON LUIGI BESUSCHIO

IN PROVA

DI AFFETTO E DI RICONOSCENZA

QUESTO

DEBOLE FRUTTO DEI SUOI PRIMI STUDJ

IL CUGINO

NEL GIORNO DELLA SUA LAUREA

OFFERIVA.



Hydropem ovarii plerumque praecedunt prodromi licet valde incerti et saepe obfuscati, qui vel in majori irritatione aut sanguinis congestione, vel in ovarii volumine aucto, aut nondum tangendo, suam expetunt explicationem.

In imis pelveos exoritur dolor premens, ardens, fugax saepe rediens, sensatio ponderis, gravedinis, situ quieto moderanda, femur lateris affecti stupore corripitur, ejus motus fit difficilis, plerumque aegra supinus jacens, accedit nonnunquam tumor oedematosus et dolor ad malleolos usque extensus ischialgiam fere simulans. Simul globus hystericus, menstruorum anomaliae, plerumque eorum recessus et mammarum transitorius tumor nec non dolores trahentes, lancinantes, tendentes observantur.

Quibus symptomatibus saepe per menses praegressis jam imminutis, jam adauctis sensim loco, quo supra laudati prodromi centrum inveniebant, supra cristam ossis pubis

lateris affecti, plerumque sinistri tumor emargit pressione profundiore tangendus, plerumque non dolorificus, hinc inde inaequalis, formae diversae, tantum obscure et profunde fluctuans, magnitudine ovi gallinacei aut ultra, ab initio mobilis, qui per vaginam aut anum quoque tangitur et in foemina, laxa fibra instructa, praesertim si jam saepius peperere aut prius pinques fuere, ob parietes abdominis laxiores facilius ex uno latere in alterum movetur et sensationem causat, quasi ac corpus frigidum, globosum ex uno caderet in alterum latus. Hanc sensationem aegra etiam percipit sub repentina rotatione trunci, sub versione corporis in lecto, et propterea aegra rarissime sano lateri incumbit.

Tumor lentissime plerumque increscit, dolor obtusus, premens in profundo pelveos continuat majeri gradu, saepe dolores lancinantes ad scapulas usque vagantes sese associant, pirosis, nausea, vomitus aegram interdum infestant. Quo magis adaugetur volumen tumoris, eo difficilius movetur, quum cuneı ad instar pelvi sese immergat, simul reliqua pelveos organa pressione laeo moveatur et forma mutantur. Hoc praecipue palam in utero fit Portio vaginalis

situ mutatur, ita ut vagina tumorem versus, fundus autem uteri latus oppositum respiciat, ejusque forma in longum distrahatur. Si per vaginam exploras, uterum distractum invenis versus latus oppositum, ita, ut fundus uteri dextrorsum tangitur, si ovarium sinistrum hydropicum, et vice versa. Nonnunquam uterus in altum tollitur, ita ut digitus explorans eum vix adsequi queat. Per fornicem vaginae sentis fluctuationem, atque si per anum explorans, solum obscurius.

Eadem ratione, qua tumor increscit, augentur molestiae locales quae pressione tumoris provocantur, alvi excretio quippe retardata, continuus nisus ad mingendum urinae excretio molesta, urinae ipsae mittuntur parum quantitate imminutae, crassae et obscure tinctae.

Hydrops ovarii, ubi gravidam infestat, plerumque abortum aut partum praematurum, difficilem causat, et proles justo debilior nec debite evolutus cernitur, quippe uterus nec ad normam extendi, nec satis dilatari queat. Tumor hydropicus ipse durante graviditate in evolutione quidem retinetur, sed partu absoluto majora capit incrementa. Praestant tamen exempla, quod praesente hoc morbo

graviditas et partus sine magnis incomodis absolvebantur.

Etiamsi jam magnam abdominis partem expleverit moles ovarii, tamen compassio totius organismi non magna est. Animus quidem dejectus et tristis, adpetitus tamen integer, sitis non aucta, membra nondum emacescunt, secretiones et excretiones bene procedunt.

Dum ultro excolitur hydrops ovarii, abdomen utane mirifico modo in ingens extenditur volumen, tumor fit aequabiliter diffusus, ut difficile cognosci queat, an fluidum in cavo abdominis liberum adsit nec ne? Parietes abdominis attenuantur, venae valde expansae reticulatim sub cute transparent.

Sensim systema nervorum abdominalium gravius alteratur, digestio labefactatur, nutritio omnis pervertitur, viresque exhauriuntur. Hinc multifarii spasmi in abdomine obveniunt, dolores trahentes in regione sacrali, conatum naturae ad partum simulantes, ascensio globi hysterici versus ventriculum, nausea, ructus, praecipue acidorum, vomitus, pyrosis, alvi abstipatio spastica, flatulentia, magna dejectio animi in tristitiam proni, augmentum pressionis in abdamine aeque ac in femore collaterali. Saepe insigniter intume-

scunt oedemate extremitates inferiores, dum superiores ob emaciationem tenuia reddun-tur. — Tandem accedit oppressio magna pectoris et respiratio citata et sublimis, valde anxia, praecipue situ horizontali. Haec symptomata postremo tempore saepe tantum attingunt gradum, ut aegra, nec erecta amplius stare, nec, nisi genubus innixa et corpore antrorsum inclinato spiritum ducere valeat. Mammae, tantum initio morbi tumidae, mox fiunt pendentes flaccidae, menstrua si fluunt, irregularia et parca, plerumque tamen fluor albus jam primis morbi mensibus sese insinuat.

Serius habitus cachecticus singulari modo enunciatur. Aegra valde debilitata, immobilis decumbit, facies valde pallescit colorem praesefert chloroticarum, qualis in feminis, quae vitiis organicis sexualium vexantur, plerumque observatur, imo jam saepe ex physiognomia augurari licet, an dyscrasia cancerotica subsit hydropi ovariorum, quamvis rapidius tumoris incrementum et multo major compassio totius corporis hanece opinionem confirment. Cutis arescit et decescit, alvus valde tarda, urinae secretio parcissima, dolorifica, imo ischuria aut enuresis reperitur. Urinae sunt crassae, albumine scatentes. Ex-

tremitates frigent, horripilationes saepe recurrunt, febris lenta emergit, anasarca, ascites et hydrothorax associantur, et tandem aegra succumbit.

AETIOLOGIA.

Ante pubertatem non occurrit, nec non usque ad quadragesimum annum raro observatur, plerumque tempore involutionis, quo catamenia cessant, enascitur, imprimis in foeminis, menstruorum irregularitate aut fluore albo vexatis, in sterilibus aut, quae amplexus virorum desperunt, aut justo frequentius admittunt. Feminae fertiles rarissime, nonnunquam partubus vero debilitatae saepius hydrope ovarii capiuntur. Ovarium autem sinistrum saepius arripitur dextro.

Inter excitantes causas congestio omnis sanguinis, nec non inflammatio chronica genitalium internorum et praecipue ovarii omnium primum tenent locum, et fertilissimum exhibent fontem hydrovarii, quod dolores obtusi, prementes saepe lancinantes in regione ovarii jam ante morbi evolutionem praesentes et sub ejus decursu perdurantes, quemadmodum copiosae adhaesiones sacci hydropici et mutationes ovarii sub sectione

dstentes sat clare docent. Hinc elucet, quomodo omnes influxus, qui organa genitalia irritant, et sanguinis confluxum illuc derivant, hydrovario ansam dare possint.

Gestatio ponderum graviorum, partus difficilis, lapsus, ictus, concussio vehemens partum commotione ovariorum, partim congestione et inflammatione subsequente abnormi reproductioni eorum favere possunt, quemadmodum metastases febri puerperali, diarrhoeae suppressione, metrorrhagiae catameniorum aut lochiorum retentione provocatae.

Fons uberrimus hydropis ovarii praeterea sunt induratio, sarcoma carcinoma quae circulatione quoque inhibita sanguinis et resorptionis processu prostrato accumulationi seri opitulari possunt.

DIAGNOSIS.

Magna copia verborum proposui imaginem hydrovarii, tamen, licet adhuc majorem symptomatum seriem enumerassem, diagnosim non certiorem reddidissem, nam tanta occurrit varietas, ut modo alia symptomata plane deficiant, alia prae caeteris emineant, minime characteristica. Nam sine omni prodromo nonnunquam emergit hydrops ovarii, imo

saepe perstat inscia aegra et medico, cadavera nempe alio morbo defunctarum saepe ovarii degenerationes exhibent, quin aegra earum praesentiam persentisset, aut medicus cogitasset. Alia difficultas diagnoseos in eo haeret quod omnis morbosa affectio ovariorum sub initio eadem parturit symptomata obscura.

Quae quum ita sint, nullatenus superfluum esse puto, symptomata hydrovarii constantiora et certiora paucis verbis repetere, et indicare, quomodo ab ascite, a graviditate, ovariophtisi discerni possit. Ad diagnosin hydrovarii statuendam, quae nostram attentionem praeprimis merentur, sunt: tumor supra descriptus et sedulo indagandus, incessus aegrae cum magno licet tumore facilior, cruris plerumque tantum unius, nempe lateris affecti motus difficilior, digestionis et assimilationis minor turba, urinae non tam parcae, normalibus diu similes, pertinax morbi duratio et lentus progressus, febris vero accedens, denique causae occasionales.

1. Facillime hydrovarion confunditur cum hydrope ascite, et amborum morborum distinctio eo difficilior, quum uterque morbus saepe conjunctus occurrat. Si medicus ad aegram vocatur, cujus abdomen totum se-

quabiliter expansum, manifeste fluctuans invenitur, si tumor cito increvit et aegra de origine et decursu morbi pares tantum et indeterminata scit referre, sane perardua est distinctio, an sit fluidum ovario retentum nec ne. Tantum paracentheseos ope dubia plerumque certe solvuntur, quum tumor effluxu liquidi imminuitur et dein ex forma et loco intumescentiae determinari potest an sit hydrops liber an saccatus, an hydrovarion. In pluribus tamen casibus omnibus characteribus distinctivis rite perpensis, diagnosis patet. Praesertim ergo explorandum, quales influxus aegram infestabant, num fluctuatio sit obscura, nec ne; num tumor sub vario corporis motu et situ eandem formam et situm retineat, digestio et assimilatio parum turbatae sint, urinae parum imminutae, obscure tinctae, an aegra habitum cachecticum diu non induat, usus diureticorum et purgantium sit frustraneus, morbus lentius decurrat.

2. Etiam cum graviditate confundi potest hydrovarion, si tumor aequabiliter diffusus est super totum abdomen, amenorrhoea simul adest, dein pirosis, nausea, ructus, vomitus, flatulentia, tumoris mobilitas, aliaque symptomata coenestheseos aegram ve-

xant, quae tam in hydrope, quam in graviditate nonnunquam occurrunt; tumoris mobilitas et aegram et medicum hinc inde seducit, ut eam e motu foetus derivet, aut sub exploratione interna medicus portionem uteri vaginalem saepe emollitam, et orificium rotundum hians invenit, imo per fornicem vaginae corpus tangit, parti mobili foetus haud absimile.

Cognoscitur autem hydrovarium, graviditatem mentiens loco, quo tumor primo exsurgit, situ et forma uteri et vaginae, quod tumor abdominis nec tam cito, nec tam regulari modo increscat, tandem, ubi portionis vaginalis uteri, ejusque orificii similis sit mutatio, sicuti in gravida, haec lentius nec aequali ratione cum tumore abdominis, nec tanto gradu, ut in graviditate contingit. Tumor mammarum, etsi initio exsurgat, brevi iterum remittit, et abdomine ad ingentem molem extenso mammae laxae et pendulae observantur. Tandem lentior morbi decursus graviditatis suspicionem imminuit, ad quem medicus imprimis attendat, ne morbus ipsum graviditate extrauterina decipiat. Simul probe respiciat, num dolor forsan vehementior adsit, aut signa quaedam,

quae graviditatem extrauterinam aeque ac uterinam distinguant.

3. An phthisis ovariorum adsit, an hydrovarion; nisi ex causis augurari licet, tantum ex febri hectica dijudicari potest, quae, licet tumore non valde extenso, aegram colliquationibus depascitur.

DURATIO ET EXITUS.

Hydrovarion plerumque est morbus valde chronicus per magnam annorum seriem durans, imprimis aegrae, gravaminibus ex pressione enatis paracenthesi saepius instituta liberatae, longaevam ducere possunt vitam sine magno incommodo. Memoriae traditum est, foeminam quandam jam anno trigesimo hydrope ovarii correptam fuisse, et tamen octogenariam, etsi tumor integrum cavum abdominis explaverat, vita defunctam esse. Nonnunquam tamen morbi decursus magis praeceps est et intra paucos menses consumitur aegra.

Licet hydrops ovarii conamine lentissime procedat, licet assimilationis, nutritionis, secretionis et excretionis processus adhuc diu vigeant, tamen rarissima naturae con-

tingit, sanitatem restituere, neque satis auxilia multum proficua sunt.

Sequenti vero modo naturam evacuationem sacci hydropici instituisse notum est:

1. Ruptura hydrovarii, contenta per tubam Fallopii in uterum et inde foras effluxisse visa sunt, et nova productione limpidi non amplius contingente aegra sana fuit. Quod tantum concretione marginis fimbriati cum ovario fieri potuit; simul dilatatio tubarum requiritur.

2. Concussione valida abdominis, sternutatione, risu, vomitu, lapsu etiam saccus hydropicus rumpi potest, ast sequela valde variat. Plerumque ingens liquidi serioris moles repente viscera obruit et vita intra paucas horas extinguitur. Quod si contentum mitiorem praesefert indolem, resorptionis processui in cavo abdominis adaucto, resorberi et ex corpore excerni potest; et ovarii contingente cicatrisatione nova hydrops productio inhiberi. Plerumque vero, ubi tumor in salutem aegrae dehiscat, cicatrice formata nova liquidi moles in sacco colligitur, et scena rupturae et novae collectionis saepius repetitur.

3. Tandem tumoris effusio etiam per parietes abdominales observari licuit. Inflam-

mationa nempe serpante saccus hydropicus adaeresoit laminae parietali peritonaei, et suppurationis processu, plerumque saepius repetita paracenthesi, sed et sponte enata, abdomen perforatur, et liquidum effertur. Raro tamen hoc modo sanatio contingit, imo ulcerationis processu longe lateque serpente aegra citius traditur orco.

Plerumque tamen hydrovarion lente increscit, cachexia sensim producitur, hydrops ascites, hydratorax et anasarca associantur, et consumtis viribus aegra supremum subit diem, hinc inde cito suffocatione ex vivis tollitur.

NECROSCOPIA.

Invenimus nunc saccum unicum nunc agregatum plurium cystarum, quae tamen valde differunt suis proprietatibus, omnes tamen sequenti modo distingui possunt:

1. In cystas simplices, frequenter occurrentes. Talis cysta tunc sola in ovario occurrit tunc plures, nonnunquam adeo numerosae, ut ovarium aggregatum cystarum videatur. Incremento se invicem comprimunt, concrescunt, et formam induunt, ac si plures ex una cysta materna evolverentur. Raro

volumen capitis humani attingunt, et quidem unica, vel ex pluribus una ad tantam molem increscit. Parietes earum seroso-fibrosae sunt tenues, et includunt tunc fluidum serosum, decolor, aut pallide flavescens, aut viridescens; tunc fluidum est spissus, glutinosum, coloris obscurioris, flavescentis, brunescentis, nigri.

2 In cystas compositas. Vel in pariete cystae prioris novae evolvantur cystae, quae augmento prominentias intrarsum provocant. Mirabile attingunt volumen, et hydropes ovarii sistunt longe extensos. Praecipue parietes cystarum primi ordinis crassae sunt, et texturae densae fibrosae.

3. Forma tertia exoritur ex carcinomate areolari. Invenitur aggregatum numerosorum saccorum fibrosorum, contentum diversae indoli, plerumque tenax, glutinosum includentium. A peripheria versus basin volumine imminuuntur, haec ex condensata massa alveolari consistit, cujus alveoli texturam splendidam fibrosa et gelatinam excolorem, vel flavescentem aut rutilantem tenacem exhibent. Plerumque unus alterve loculus in ingentem extenditur saccum, omne abdomen explens. Carcinoma alveolare ovarii fungo medulari in aliis organis et magnae cachexiae conjunctum occurrit.

Plerumque unum tantum ovarium degeneratum invenitur, saltem in uno praevalet degeneratio.

In degenerato ovario inflammatio frequentissime serpit, et sedes inflammationis jam est peritonaeum obducens, cujus producta tunc in cavo pelveos tunc abdominis affigitur ovarium, tunc parietes seroso-fibrosae cystarum ipsarum inflammatione corripiuntur, et inflammationis productum ad cavo saccorum deponitur, quo eorum contentum tunc lympha, tunc pure, tunc ichore mutatur. Cum enumeratis degenerationibus nonnunquam in ovario coexistit cysta una alterave, sebo, imo pilis repleta, sarcoma, steatoma aut carcinoma ut plurimum medullare. — Viscera magnam experiri pressionem et loci mutationem non tantum pelveos et abdominis sed et thoracis, nemo non intelligit.

PROGNOSIS.

In hoc morbo vix unquam fausta est dicenda, curaque radicalis admodum difficilis, quamvis hoc malum inter cito necantia referri non possit, quum per annos persistat, antequam majorem attigerit gradum. Bonum

sit signum si aegra adhuc de poenis conqueritur gravaminibus localibus, si tumor non tuberosus sed aequalis et exiguus, non dolorificus, nec induratus tangitur, fluctuatio autem manifestior et liquidum per paracentesim forsan emissum minus sit alienatum, si aegra vegeta sub justo regimine et tractamine medico versatur. Infelicem autem aegrae praedices sortem cum tumor ingens, aut facile dolens valde obscure fluctuet, superficiem vero inaequalem nodosam offerat, et liquidum paracenthesi facta eductum purulentum aut ichorosum referat indolem, si habitus cachecticus insignis mox provocetur, quae omnia degenerationis malignae praesentiam augurant.

Interdum tumor rumpitur ictu, lapsu, tussi vehementi, sternutatione etc. liquidumque effunditur in cavum abdominis, citoque mors exinde sequi potest.

THERAPIA.

In cura hydrovarii sequentes indicationes sunt explendae: 1. causam tollere; 2. liquidum accumulatum viis naturalibus aut artificialibus exterminare, ulteriorenque accumulationem praecavere; 3. symptomata gravantia lenire.

1. Indicatio causalis — Cum fere in omni casu congestio subsit, eam ante omnia reprimere oportet, et omnia amovere, quae sanguinis fluxum ad hoc orgagon movent. Itaque aegra abstineat ab omni stimulo sexualium et diarrhoea suppressa aut menstrua aut lochia retenta fuerint, iterum provocanda sunt. Caeterum methodus antiphlogistica, hirudines, scarificationes, balnea, et potus emollientes optime condueunt; ubi vero ovarii degenerationi carcinoma aut subest, aut una cum hydrope inflammationis chronicae progenies sistit, remedia solventia, praesertim mercurialia valde juvant.

2. Liquidum collectum comittere viis excretoriis naturalibus plerumque non contingit, et diureticis et drasticis facilius dissolvitur aegra, quam tumor. Itaque ab horum usu, nisi proficua se exhibeant, mox abstineamus, ne assimilationis et nutritionis processus nimis turbetur. Magna attentione vero digna est observatio ad usum emeticorum sub morbi initio invitat.

Quum pharmacorum usus raro optata coronetur effectu, restat adhuc manu chirurgica vias pandere liquido collecto. Sed et paracenthesis saepe penitus prohibetur et semper difficultatibus premitur, et periculo

plena est. Itaque chirurgus operationem tum tantum instituat, ubi fluctuatio manifesta percipitur, et tumor notabilis et unicus sit, nec doleat, tandem ubi gravamina respirationis magna suffocationem minitantur. Paracenthesi autem finis optatus haud attingitur, imo noxa paratur, si liquidum in pluribus inter se disseptis cellulis continetur, exinde pro parte tantum evacuari potest, porro si cystis formata incrassata, scirrhosa aut in interna plaga exulcerata est, paracenthesi non raro inflammatio, quae gangraenam et mortem pedissequam habere potest, excitatur. Neque satis. Ubi nimirum ovarium hydropicum cum partibus vicinis, utero, omento et aliis concretum, chirurgus in periculo versatur, ne haec viscera laedat, aut si liquidum est indolis spissioris aut puriformis, per canulam tricuspidis effluere nequeat, ultra, si tumor in loco punctionis cum peritonaeo non coaluit, facile quidpiam contenti in cavum abdominis effluere et hinc inflammationem malignam progignere valet. Nec non fieri potest, quod chirurgus vasa sanguifera, quae in varices extensa tumoris superficiem perreptant, cum tricuspide laedat, et sic periculosum sanguinis fluxum adducat. Etiam nonnulli observasse contendunt, sae-

pius repetita punctione celeriorem fieri liquidi accumulationem, et serum collectum citius induere indolem purulentam aut ichorosam, itaque diem supremum multo prius provocari.

Quibus intelligis paracenthesin cautissime esse adhibendam, ne vita aegrae nimis periclitaretur. Prostant vero exempla punctionem iteratis vicibus in una eademque aegra ad morbi levamen optimo cum effectu institutam fuisse. Hunter foeminae mentorat, in qua paracenthesis ovarii hydropici octagesies facta fuit.

Operatio ipse eadem ratione instituitur, uti punctio abdominis. Ad effluxum contenti, plerumque spissioris, facilitandum utatur chirurgus tricuspide majoris diametri, et abdomen percutiet loco, quo fluctuatio manifestius percipitur, ea enim cautela, ne varix aut arteria epigastrica laedatur.

Etiam punctio per fornicem vaginae proposita fuit, ast tantum in iis casibus adplicationem meretur, ubi fluctuatio per abdomen tantum obscure percipitur aut sensibilitas abdominis laesionem vetat, dum tumor in fornicem vaginae profunde descendens fluctuationem ibi magis manifestam afferret.

Effectus paracentheseos imprimis justo re-

gimine diaetetico adjuvetur, omnes secretiones et excretiones haerentes expediantur, alvusque plerumque tarda clysmatibus et remediis eccoproticis promovenda. Malo autem proveto vires in diem labentes et habitus cachecticus remediis roborantibus corrigantur.

3. Indicatio symptomatica imprimis urinae et alvi excretionem promovere, oedema pedum et genitalium abigere, dolores mitigare, respirationis et expectorationis gravamina lenire, decubitum praecavere, et febrem depascentem moderare secundum regulas generales therapeuticas intendat.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ.

1. Cholerae sporadicae essentiam in gastroenteritide reponendam esse.

2. Pulsum ad phlebotomiam instituendam infidum indicium praestare.

3. Capillorum implicationem in trichomate non aliter ac crisim habendam.

4. In hydrometra uteri perforationem a Monro propositam nunquam instituendam.

5. Dato morbo facile est invenire remedium.

6. Tuberculorum pulmonalium genesim non a phlogosi semper derivandam.

7. Sales cum acido valerianico conflatos maximam medicorum attentionem mereri.

8. Stramonii usum in tipho comendandum.